



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Beneficiorum Ecclesiasticorum Natvra, Ereptione, Qualitatibvs Ad Ea Obtinenda Requisitis ...

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

218. Quæ ætas requiratur ad beneficia habentia curam animarum mere accessoriè, & non æquè principaliter.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74477)

*Questio 218. An igitur hoc ipsum quoque extendendum ad beneficia habentia annexam curam animarum merè accessorie, & non aequè principaliter?*

**R**espondeo negativè, sufficitque illa ætas, quam beneficium illud per se requirit. Barb. *T. de Canon. c. 13. n. 21.* Paxjard. *loc. cit. n. 10.* Pass. *n. 433.* Fagn. *in c. 1. de capellis Monach. Card. de Luc. de benef. disc. 95. num. 13 & 14.* ubi etiam explicat, quando cura accessorie, quando principaliter censenda sit incumbere beneficio his fere verbis: quaestiones in hac materia esse solent potius facti, & applicationis, quando nimirum cura animarum beneficio incumbere dicatur principaliter vel accessorie, quod pendet ex facti qualitate & circumstantiis, ubi habetur titulus annexionis, qui principaliter attendendus est, qui sit clarus; eo autem cessante, vel dubio existente, recurritur ad conjecturas, illam præsertim deductam ab observantia, an scilicet beneficium consueverit conferri per concursum, vel sine illo, & an consueverit esse residentiale. Idem sentit Laym. *in cit. c. permittimus. num. 3.* ubi ait: ætas illa viginti duorum annorum sufficere debet, tametsi dignitas, quæ per se curata non est, v. g. Decanatus, unitam habeat parochialem, seu curatam Ecclesiam; attenditur enim ad naturam beneficii principalis, non uniti, & accessorii, quippe quod naturam suam & condiciones veluti amississe censetur, cum alteri principali annexum fuit. citat seipsum Theol. Mor. *tr. 2. c. 9. n. 2.*

*Questio 219. Quot anni requirantur in canonico penitentiario?*

**R**espondeo: quadraginta. Concil. Trid. *sess. 24. de reform. c. 8.* & quidem completi. Garc. *loc. cit. num. 35.* citans Abb. Felin. Gutierrez contra Azor. *loc. cit. l. 6. c. 5. q. 6.* Non tamen obstat defectus in hac ætate, dum alias aptior pro loci qualitate non reperitur in civitate vel diocesi. Sed neque extra diocesin quaerendus. Garc. *loc. cit.* citans Navar. Si tamen talis quaerendus extra diocesin, Episcopus debet allumere non nisi habentem istam ætatem, si talis commodè inveniri potest.

*Questio 220. Quæ ætas requiratur ad Episcopatum; quo nomine etiam veniunt Superiores dignitates, Archiepiscopatus, Patriarchatus. Fagn. loc. cit. num. 16. Castrop. loc. cit.*

**R**espondeo: triginta annorum completorum. Trid. *sess. 7. c. 1. de reformat. Gregor. XIV. in const. sua Onus Apostolica.* Barb. *in c. cum in cunctis. n. 16.* Castrop. *loc. cit. num. 2.* Rebuff. *loc. cit. cap. 184.* Azor. *p. 2. l. 6. cap. 5.* Menoch. *de arbit. c. 417. n. 22.* Pass. *num. 434.* contra Gl. *in c. unicum. de ætate & qualitat. in 6. v. compleverint.*

*Questio 221. Quæ ætas requiratur ad Cardinalatum?*

**R**espondeo: sufficit ex const. Sixti V. ea ætas, quæ requiritur ad Ordinem sacrum annexum Cardinalatui suscipiendum, v. g. ad Cardinalatum diaconalem 22. ita ut intra annum talis ordinari possit diaconus. Card. de Luca *loc. cit. num. 4.* quæ tamen Constitutio non tam obligationem, quam solum decentiam continet. Barb. *in cap. cum in cunctis*

*n. 17.* Castrop. *loc. cit. num. 3.* Selva. *p. 3. q. 5. num. 14.* nequit enim Papa, à quo tantum ordinantur Cardinales, obligari & arctari à suo predecessore, adeoque poterit creare Cardinales in ætate minore. Pass. *n. 435.* idque rationabiliter. C. Palear. *de consult. 5. palatii p. 3. q. 4.*

*Questio 222. Quæ ætas requiratur ad summum Pontificatum?*

**R**espondeo: nullam certam requiri à SS. Canonibus. Selva *loc. cit.* Licet autem decens sit, ut CHRISTI Vicarius, & universalis Ecclesie Episcopus ejus saltem sit ætatis, in qua CHRISTUS cepit prædicare, & in qua ceteri Episcopi promoventur; nullus tamen defectus ætatis validitati objici poterit, *c. licet de vitanda. de elect. ibid.* Fagn. *num. 11. & 24.* uti & *in cap. cum in cunctis. num. 28.* modo tamen ætas tanta sit, ut habeat usum rationis, id enim jure naturali & divino requiritur, cum Christus Petro dicendo: *pascere oves meas: elegerit eum in Pastorem ovium. c. significasti. de elect. & ibid. Gl. v. pascere.* officium autem pascendi oves suscipere non possit infans. Requiritur etiam de necessitate actus suscipientis curam pastorem, & sic usus rationis. D. Th. *in 4. sent. d. 25. q. 2. a. 2.* Electio talis nulla erit non obstante *cap. licet ad vitanda &c.* utpote quod non sustulit exceptiones hujusmodi provenientes à jure naturali & divino. Fagn. *loc. cit.*

*Questio 223. Quæ ætas requiratur in Prælatibus regularibus Abbatibus (intelligi proprie talibus; Abbatis enim improprie, abusive, & in sola nuncupatione tales, actuali conventu & administratione carentes, seu solum ventosam quandam dignitatem representantes, in hoc puncto non differunt ab aliis beneficiis simplicibus. Card. de Luca loc. cit. num. 19 citans Fagn. in c. cum in cunctis. de elect. n. 108.) Generalibus, Provincialibus, Prioribus, &c.*

**R**espondeo: requiruntur & sufficiunt, etiam in iis, qui jurisdictionem quasi Episcopalem habent (ut sunt, generaliter loquendo, Generales, Provinciales, & in quibusdam religionibus, v. g. Dominicanorum, etiam Priores locales. Pass. *n. 436.*) anni 25, sicut supra dictum est de beneficiis curatis. Suar. *tom. 4. de relig. t. 8. l. 2. c. 3. num. 7.* Tambur. *de jure Abb. d. 6. q. 9. n. 3.* Paxjard. *cit. tit. 20. n. 3.* contra Lezan. Navar. Barb. apud Pass. requirentes 30. annos, ob similitudinem jurisdictionis cum Episcopali; Et de Abbatibus quidem expressè Abb. *in c. super inordinata. de præb. num. 7.* Card. de Luca *num. 19.* ad prioratum conventualem etiam expressè *cl. in agro. de statu Monach.* requiritur annus 24 expletus; & ad Prioratus, in quibus cura animarum exercetur per presbyteros saculares annus 20. Garc. *loc. cit. c. 4. num. 81.* Porro ad diffinitorium Sigism. à Bon. (quia illum arbitratum esse dignitatem & personatum) requiri ait 22. annos, ut illos ad alias dignitates requirit Trident. Pass. *verò num. 437.* ex eo, quod diffinitores integrent Capitula generalia, vel provincialia, quæ potestatem jurisdictionis habent in religionibus, putat censendos esse habere curam animarum, adeoque ad diffinitorium requiri annos 25. Verum in his & similibus consulenda ferè sunt statuta specialia